



NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXII.

DIE XXIX. APRILIS.



Isbone, a. d. 18. Martii.

Rex noster, res communem utilitatem concernentes, quas publicas adpellamus, magna diligentia administrat. Paucis ab-

hinc diebus, edicto palam edito, omnibus, qui eius parent imperio præcepit, ut tributum, quod militibus alendis sustentandisque destinatum est, quam promptissime deinceps penderent. Et quoniam militibus stipendia, nova accessione augere constituit, & præterea annonam ubiuis locorum instaurat, horreaque militaria, rebus ad belligerandum necessariis instruit, omnia alia

decreta, a maioribus promulgata, quæ tam salubri consilio aduersari existimat, irrita declarauit.

Madritti, a. d. 23. Martii. Qui Gallorum causa in hac vrbe agunt, magno opere instant apud regem, ut mercatores Gallos libere cum mercibus ad nos commeari patiat, commerciumque pestilentia metu aliquantisper sublatum utrique populo restituat; sed nihil eos precibus eiusmodi perfecturos esse opinamur, quippe quum pestiferam luem in Gallia nondum penitus extinctam esse, certis auctoribus cognitum sit. Milites qui septem impositi sunt præsidio, nouo subinde tironum supplemento augentur, quibus comear-

tus

tus terra marique, larga copia subue-
 &tatur. Quorsum naues bellicæ, & tri-
 remes, quæ Gadibus fuerunt ædificatæ,
 destinantur, nemo adhuc compertum
 permultum habet. Interea rex tri-
 buere videtur amicitæ, quæ ipsi cum
 venetis intercedit, quandoquidem om-
 nibus eos ornauit priuilegiis, quibus
 aliæ gentes in his regionibus gaudent.

Lutetia Parisorum, a. d. 6. April. Dux
 Aurelianensis diebus hisce proximis
 prodire in publicum, regemque in ædi-
 bus Thuillerianis inuisere voluit, a quo
 tamen proposito medici eum dehor-
 tati sunt, quibus & morem gessit. He-
 sterna tamen die in templum processit
 Deoque Optimo Maximo pro restituta
 valetudine, gratias publice persoluit.
 Euulgatus hic est libellus, in quo Duces
 Marecallique Galliæ, summo antehac
 regni senatorum concilio adscripti, que-
 rulantur, quod Rohanius atque Boisius
 Cardinales eis fuerint prælati. *Archie-
 piscopus*, qui Aquis Sextiis est, *Archie-
 piscopi Remensis* dignitate ornatum iri
 ferunt, cui deinde successor *Episcopus
 Massiliensis* dabitur. Cardinalem au-
 tem Boisium Rothomagensi *Archiepisco-
 patui* præfectum iri existimant. Bagne-
 rus cursor regius, cum regi Hispaniæ
 nuntium de felici Infantis Regiæ ad-
 ventu adtulisset, muneris loco ab eo
 accepit numum aureum mille & quin-
 gentas libras gallicas pretio æquantem
Comes Moruilleus, qui Cameracum pro-
 ficisci debuerat, in hac aula permane-
 bit, cuius loco Breteuilus eodem mitte-
 tur. Ex Prouincia nuntiatum est, duo-
 rum annorum spatio, plus minus no-
 naginta hominum millia, ibidem
 peste fuisse enecta. Ex insula Mo-
 Aocha, quæ in America meridionali
 est, nauis quædam, quæ a Tritone

nomen habet, appulsa, tam in-
 gentem vim fabarum turcicarum, quas
Caffee vocant, aduexit, vt mercatores
 exinde, plus viciis centenis millibus
 librarum gallicarum se ex illis diuen-
 ditis acquisituros sperent. Accessit
 eadem naui vice Rex Goæ, quem præ-
 fectus insulæ S. Apolonix a pirata quo-
 dam duobus millibus Talerorum re-
 demit. * *le Puy Vrbs tractus Cemmenii.*

Alia, a. d. 10. Rex noster Christianis-
 simus ineunte mense Maio Versaliam,
 Infans regina in prætorium arci illi pro-
 ximum, *Trianon*, habitatum se confe-
 rent. Dux autem Aurelianensis, duo-
 bus in hebdomade diebus cum Rege
 erit, reliquis vero, Parisiis & in Fano S.
 Clodoaldi commorabitur. Quoniam
 Noallius *Cardinalis*, nondum adhuc
 consentire vult, vt Reu. Pater Lignie-
 rius regis constituatur *Confessarius*, Ro-
 hanius atque Boisius Cardinales ea pro-
 pter duos miserunt ad Pontificem cur-
 sores, vt is controuersiam istam, pro
 sua, qua pollet in rebus istiusmodi au-
 thoritate, decideret. Dux Aurelianen-
 sis Chirasconio medico, cuius ope re-
 stitutus est, viginti quatuor millia
 librarum gallicarum, muneri dedit.

Londini, a. d. 3. Aprilis. Cum supe-
 riori die Martis, in eo tractu, qui
 Westmonasterium dicitur, & huic ad-
 iacet vrbi, ab hominibus, qui aulæ
 fauent, deligerentur, qui proximis
 regni comitiis adscribi debent, Moles-
 worthius & Hutchinsonius primas te-
 nuisse conspecti sunt. At enim Moles-
 worthius, excusatione vsus, suo suf-
 fragio Cottonium comitiis adesse iussit.
 Ab iis autem, qui plebis addicti sunt
 partibus, Lowadesius, & Thomas Cros-
 sus, eques, ad eiusmodi solemnem
 conuentum delecti fuerunt. Id autem
 in primis hoc tempore memorabile vi-
 detur,

detur, quod plurimum quam triginta millium hominum suffragiis deligi debeant, qui futuris comitiis adhibebuntur. Cum postea illi, quos populares vocamus, Tutlefieldium proficiscerentur, complures ex infima plebe homines, qui aulicis se adiunxerant comites, sublata exclamabant voce: *Absit corpus truncum*, (quibus verbis comitia! sine Carolo I. rege instituta significare volebant) *absint septem annorum comitia! absit pons Thamesi imponendus! absint fossa, pestilentiae metu ducenda! absint homines, qui societati austri praeficiantur.* Præterea quam plurimi eo prolapsi erant audaciæ, ut luto manibus arrepto obruerent populares homines, & vestes pariter ac vultus eorum misere hac ratione deformarent. Cum duo hæc agmina, & aulici quidem præeuntibus musicis in campum, ubi suffragia colligi debebant, more usitato procederent, numero victi sunt populares, quo factum, ut Hutchinso-
nius, & Cottonius superiores discederent, & futuris comitiis destinarentur. Postremo a conuitiis, quibus se inuicem laceffiuerant homines irarum pleni, res ad verbera peruenit, & multi ex eo conuentu saucii discesserunt.

Haga Comitum, a. d. 10. Aprilis. Princeps Kurackinius, imperatoris Russiae legatus, cum proceribus nostris nudius abhinc tertius consilia contulit, eisque litteras Imperatoris sui tradidit. Hispaniæ vero regis legatus præpotentes Belgii fœderati ordines eo inducere allaborat, ut classem plurimum nauium comparent, eamque nauibus hispanicis iunctam, aduersus Algerianos piratas mittant. Ceterum multi in ea sunt opinione, breui fore ut nouum inter Hispanos & Anglos exoriatur bellum Hispanos namque non solum Gibraltariam & portum Mahonis, sibi restitui,

sed & damnum, quod illis in pugna prope Siciliam ab Anglis illatum fuerat, refarciri velle.

Amstelodami, a. d. 7. Apr. Non tantum Romanorū legatus, sed alii etiam principes, cum quibus nobis intercedit amicitia, celsissimus Belgii fœderati proceres rogauerunt, ut quendam ablegatum, ad conuentum Cameracensem mitterent. Plurimi, copiarum aliquem præfectum, qui nuperrime ab exteris ad nos rediit, eo abiturum existimant. Monteleonius *marchio* iunior, pulcritudine cuiusdam puellæ captus, clanculum sibi eam iunxit.

Ex Portu Liburno, a. d. 3. Aprilis. Fama fert, Magnum Magistrum ordinis Melitensis, mandata misisse ad equites Ordinis Johannitici, ut ad bellum omnia comparent, periculum enim esse, ne turcæ insulam eorum oppugnent.

Neapoli, a. d. 31. Martii. Equites Johannitici, a Magno ordinis sui Magistro id acceperunt in mandatis, ut singuli in insulam Melitam se conferant; quapropter omnia iam comparant ad iter proximo mense suscipiendum. Quod si euenerit, ut a turcis oppugnentur, commeatum eis ex Sicilia suppeditatum iri credunt.

Genua, a. d. 4. Aprilis. Litteris, quas ex Hispania accepimus, nuntiatum est, in portu Gaditano quatuor naues bellicas exornari, quæ in nouam Hispaniam breui dimittentur. Præterea vero nouem alias instrui, quæ Hollandicis iunctæ prædones maritimos Algerianos persequantur, mareque tutum reddant

Holmia, a. d. 14. Martii. Rex noster, in prospera constitutus valetudine, relicto Gottenburgo, in hanc urbem redire factus est, atque altero, postquam venerat die, Bestuchouium, Russorum
lega-

legatum audiuit. Huic paucis abhinc diebus Moscua venit nuntius, qui, ut aiunt mandata magni momenti ei adtulit. Inter alia id ei datum esse negotii perhibent, ut apud nostrum adnitetur regem, quo is Russorum monarchæ, Imperatoris vtriusque Russiæ titulum impertiatur. Illam pecuniam, quam Russi, pace constituta, nobis se daturos promiserant, Wiburgi nostris iam esse numeratam, atque in eo iam versari nostros, ut præsidio militum testi, eandem in hanc urbem adportent.

Hamburgi, a. d. 3. Aprilis. Quemadmodum Petriburgo allatum est litteris, triremes aliaque nauigia minora, quæ ibi Imperatoris iussu fuerant exstructa, propediem mare ingredientur, Naues autem hellicæ, vix exeunte mense Aprili ad nauigandum paratæ instructæque esse poterunt. Illis autem sex peditum imponentur legiones, quæ maxima ex parte in vicinis locis huc vsque statua habuerunt.

Petriburgi, a. d. 7. Martii. Paucis abhinc diebus, edictum promulgatum accepimus, quo omnes totius Russiæ proceres exceptis solummodo iis, qui Astracanam & Siberiam incolunt, Moscuam euocantur & capitis in eos statuitur pœna, qui exeunte Martio mense, in ea vrbe haud comparuerit. Illo enim tempore declaratum iri existimant, quem Imperator Russorum in Imperio successorem sibi post mortem delegerit. Complures Nariskium principem, qui arcta cognatione coniunctus est cum Imperatore id honoris consequuturum, & in matrimonium filiam imperatoris natu maximam ducturum arbitrantur. Princeps enim iste meritis vnus omnium post Imperatorem maxime excellit, & non solum multas peragravit regiones, sed & ar-

tium mathematicarum reique nauticæ peritissimus habetur.

Viennæ, a. d. 25. Aprilis. Superiori die Martis, natalis Augustæ Josephi viduæ, more in aula consueto celebratus fuit quo illa iam annum ingressa est ætatis quinquagesimum. Eadem die tempore postmeridiano, Hieronymus Crimaldus Pontificis maximi nuntius, solemniter maximaque pompa, comitantibus 51. currubus seiugibus urbem hanc ingressus est, postero vero die Mercurii, Imperatoris Augustissimi prima vice solemniter conueniendi, obtinuit potestatem. Die Jouis Excellentissimus Comes Franciscus Trautsohnus, virginem Comitum Josepham Weissenwolffiam, solemniter præsentem tota Romanorum Imperatoris Augustissima domo, sibi despondit. Pari ratione insequente die Lunæ, quæ fuit vigesima Aprilis, Excellentissimus Comes Ferdinandus Daunius matrimonio sibi iunxit, virginem Comitum, Rosinam Herbersteiniam; huic quoque desponsationis ritui, ipse Imperator cum Augusta atque duabus Archiducibus, interesse est dedignatus; sub vesperam tamen nihilominus multis præcipuæ dignitatis viris, exteris pariter ac domesticis, sui conueniendi concessit potestatem.

Pofonii, a. d. 24. Aprilis. Superiori die veneris quæ S. Georgio fuit festa, annua Magistratus vrbs nostræ instauratio instituta est, Iudice Perill. ac Generoso Nicolao Szentei, Consule Perillustri ac Generoso, Gabriele Skaritza, constitutis. Quia vero anno præterlapso, quatuor e numero Senatorum demortui sunt, noui in eorum locum sunt electi, videlicet, Generosus Johannes Trummer, Generosus Georgius Szetseny, Generosus Johannes Schusterus, atque Generosus Matthias Meidel.